Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marcus Tullius Cicero

M. T. Ciceronis Ad Q. Fratrem, Minoris Asiæ Proprætorem, De prouincia rectè administranda. Epistola. Cum pröœmio Nathanis Chytræi

Rostochii: Myliander, 1580

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1755985428

Druck Freier Zugang




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1755985428/phys_0001

Cq – 1536. 1–5

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1755985428/phys_0002

LVCAS BACKMEISTERVS,
est verus possessor huius
libri.
Nulla dies abeat quin linea ducta
supersit.

M. T. CICERONIS AD Q. FRATREM, MINORIS ASIÆ PROPRÆTOREM,

De prouincia rectè administranda.

EPISTOLA.

Cum prœmio
NATHANIS CHYTRÆI.

Rostochij, typis Stephani Myliandri.
Anno CIↃ IↃ XXC.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1755985428/phys_0005

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Adolescentibus bonarum litterarum in Acad. Rostochiana studiosis S. D.

NATHAN CHYTRÆVS.

CVM, sicuti superioribus annis Fastos Ouidij, Terentium & Horatium; ita nunc quoq; Virgilium integrè vobis, studiosissimi adolescentes, explicando absoluerim: non inconcinnè me facturum arbitror, si ex siluis illis & hortis poëticis, sanè amœnissimis, quasi satietatis, si qua modo doctrinarum tam vtilium & iucundarum satietas esse potest, in vrbem quodammodo regressus, aliquid politicum & rhetoricum, sed idipsum tamen à doctrinis & exemplis poëticis minimè alienum, aliquantisper vobis explicarem: donec exemplaria eruditissimi de Arte poëtarum Aristotelis libri haberi possent, quem ego ab aliquot iam annis, quamprimum scilicet explanatio Virgiliana ad finem perducta esset, vobis, ratione

professionis meæ, proponere decreuissem. Quia vero Aeneidi Virgilianæ, specimen boni & laudati Imperatoris, maximè peregrinationum & bellorum tempore continenti, proximos aliquot annos tribui: non ingratum vobis fore existimaui, si epopœiæ illi heroicæ, imaginem boni prætoris, seu cuiuscunq; magistratus togati, siue is vrbanus esset, siue prouincialis, subiungerem. quam equidem ipsam imaginem M. Cicero, penicillo ingenij & eloquentiæ suæ, in aurea illa ad Quintum fratrem, minoris tum Asiæ proprætorem, epistola, ita diuinitus expressit, vt paucos in hoc genere scriptorum pares, superiorem videatur habere neminem. Fratrem enim suum Quintum, natura ad acerbitatem & iracundiam magis quam oportebat propendentem, quam fieri potest grauissimè simul & humanissimè hortatur, vt talem se, præsertim tertio & extremo administrationis suæ anno in prouincia præstet, vt ei, sine exceptione, summa cum laude præfuisse dici possit. Illud autem certo futurum ait, si primo ipse Quintus labores & molestias, Reipub. gubernationi perpetuo coniunctas patienter

tienter sustinendas esse, firma quadam animi inductione sibi persuadeat: si pecuniæ, voluptatum, rerumque alienarum quarumuis cupiditati strenuè resistat: si non sit ἀκριβοδίκαιος, cautus tamen, & in omni officio circumspectus ac diligens: qui susurrones quam longissimè à se arceat: qui anuli sui signatorij curam quam diligentissimam habeat: qui denique subditos vnicè amare, eosque quam fortunatissimos efficere & relinquere velle videatur: ita quidem, vt ijdem, nullum alium, aut meliorem, aut vtiliorem prouinciæ suæ præsidem desiderent. qui munera neque ipse accipiat, neque alios vel afferentes vel accipientes ea æquo animo ferat: qui in nouis amicis, & ministris discernendis prudens sit, & quantum cuique fidendum, aut committendum sit, exactè dispiciat: qui seruos, & totam denique familiam, accurata & seuera disciplina in officio contineat: qui in iure dicendo adhibeat seueritatem: in toto imperio grauitatem & constantiam: qui disceptantes inter se patienter audiat; quantum quisque iuris habeat, humaniter diligenterque cognoscat, &

ſententiam iuri & æquitati conſentaneam perpetuo pronunciet. qui item nouo ære alieno prouinciam non oneret: ædificia publica, ſi qua collapſa ſint, inſtauret: ſeditionum & diſcordiarum principijs occurrat: furta, latrocinia & cædes nequaquam toleret: bona locupletium nulla, qualia aut quantacunque ea ſint, attingat: impenſas publicas ciuitatibus æquabiliter imperet: ſumptus non neceſſarios tollat: inque omnibus iſtis deliberandis & decernendis, virorum bonorum & prudentium conſilio cupidè vtatur. qui denique ſit εὐπροσώγος, benignus & clemens, quique ſe ab iracundia accendi & ſubigi minime patiatur. qua quidem in parte, grauiter admodum & fraternè, vitij huius moderationem, multis rationibus adductis, Quinto perſuadere conatur: de quibus ipſis inter explicandum, Deo volente, agemus prolixius. Hanc enim ipſam epiſtolam, eo nomine, quam fieri potuit emendatiſſimè, denuo ſeorſim curaui imprimendam. Vos qui hactenus, in tam magnis & prolixis operibus cognoſcendis, non parum temporis, & id quidem, vt ſpero, non ſine fructu veſtro,

ſatis

satis frequentes, mihi impendistis; hoc quoq; perbreue, sed tamen optimis verbis & sententijs plenissimum summi politici & oratoris opusculum, eadem, vel etiam maiori, diligentia cognoscite. Spondeo certè, neminem, maximè eorum qui ad Rempub. aliquando accedere cogitant, fore, quem huius qualiscunque operæ suæ vnquam possit aut debeat pœnitere. Valete. Idib. Augusti, Anno

CIↃ. IↃ. XXC.

M. T. CICERONIS EPISTOLA AD QVINTVM FRATREM, LIBRI PRIMI PRIMA.

MARCVS Q. FRATRI S.

ESTSI non dubitabam, quin hanc epistolam multi nuntij, fama denique esset ipsa sua celeritate superatura; tuque antè ab alijs auditurus esses, annum tertium accessisse desiderio nostro, & labori tuo: tamen existimaui à me quoque tibi huius molestiæ nuntium perferri oportere: nam superioribus literis, non vnis, sed pluribus, cum iam ab alijs desperata res esset; tamen tibi ego spem maturæ decessionis afferebam; non solum, vt quamdiutissimè te iucunda opinione oblectarem; sed etiam, quia tanta adhibebatur & à nobis, & à prætoribus conten-

Marci ita dicti sunt à marte, quod mense Martio
nati essent.

Epistola hac tota distribuij in
tres partes scilicet. Exordium
Adhortationem ipsam et Conclusionem.

Exordium

Pars prima Exordij ἐπαγγελτικὴ Nuncia
toria et ἀστιολογικὴ.

contentio, vt rem posse confici non diffiderem. Nunc, quoniam ita accidit, vt neque prætores suis opibus, neq; nos nostro studio quicquam proficere possemus: est omnino difficile non grauiter id ferre, sed tamen nostros animos maximis in rebus & gerendis, et sustinendis exercitatos, frangi & debilitari molestia non oportet. Et quoniam ea molestissime ferre homines debent, quæ ipsorum culpa contracta sunt; est quiddam in hac re mihi molestius ferendum, quàm tibi: factum est enim mea culpa, contra quàm tu mecum & proficiscens, & per literas egeras, vt priore anno non succederetur. Quod ego, dum saluti sociorum consulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri expeto, feci non sapienter, præsertim cum id commiserim, vt ille alter annus, etiam tertium posset adducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor; est sapientiæ atq; humanitatis tuæ, curare &

perficere, vt hoc, minus sapienter à me prouisum, diligentia tua corrigatur. Ac si te ipse vehementius ad omneis parteis bene audiendi excitâris, non vt cum alijs, sed vt tecum iam ipse certes: si omnem tuam mentem, curam, cogitationem, ad excellentem in omnibus rebus laudis cupiditatem incitaris: mihi crede, vnus annus additus labori tuo, multorum annorum lætitiam nobis, gloriam vero etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas ac demitas animum, neue te obrui, tanquam fluctu, sic magnitudine negotij sinas, contraq; erigas ac resistas, siue etiam vltro occurras negotijs. Neq; enim eiusmodi partem reipub. geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit & diligentia. Quòd si tibi bellum aliquod magnum & periculosum administranti, prorogatum imperium viderem; tremerem animo, quòd eodem tempore esse intelligerem etiam fortunæ potestatem in nos prorogatam: nunc vero

ea

Exordium hoc potuit ad Thu transferri tu
1 in purpo[illegible] animi abiectione solaij ac
excitare aliquem volumus, ad animi magnitu-
dinem
2. Dde cum erroris et culpae instituenda [illegible]
~~[illegible]~~
Certat ad secum ipse q quotidie [illegible] fuerit
in [illegible] et pietate quemadmodum Cic. scribit de Hortensio in libello de claris Orato: q dicendo saepe [illegible]
cerit. Certat ad secum ipse q animi motus et [illegible]
[illegible] coërcet, atq rationi vincit

Pars altera Epistolae q continet ipsam
Adhortationem et praecepta Politica

Virgilius. Primum Praeceptum de
Tu necede malis sed contra audentior ito Animi
Magnitudine
Atq Gesti [illegible] rationes q et laborum tole-
[illegible] ad [illegible] [illegible] rantia
videlicet tranquilla et pacata
1 Ratio petita a conditione [illegible]

Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Altera ratio desumpta 6 ex loco causarum, et ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ a chaos ~~[illegible]~~ remotione eorum, quae perturbare [illegible] animos, vetare dare studium, conatus impedire [illegible] solent.

Tertia ratio sumitur ex loco adiunctorum 5. 6. Circumstantiis personarum

ea pars tibi reipu. commissa est, in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna tenet: & quæ mihi tota in tua virtute, ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas, vt opinor, insidias hostium, nullam prælij dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendij, aut rei frumentarię, nullam seditionem exercitus pertimescimus: quæ persæpe sapientissimis viris acciderunt; vt, quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunę impetum superare non possent. Tibi data est summa pax, summa tranquillitas: ita tamen, vt ea dormientem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare possit. Constat enim ea prouincia primum ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimum; deinde ex eo genere ciuium, qui aut, quòd publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt; aut, quòd ita negotiantur, vt locupletes sint, nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitran-

arbitrantur. At enim inter hos ipsos existunt graues controuersiæ, multæ nascuntur iniuriæ, magnæ contentiones consequuntur. Quasi vero ego id putem, non te aliquantum negotij sustinere. Intelligo permagnum esse negotium, & maximi consilij: sed memento, consilij me hoc esse negotium magis aliquanto, quam fortunæ, putare. Quid est enim negotij, continere eos, quibus præsis, si te ipse contineas? Id autem sit magnum & difficile cæteris, sicut est difficillimum: tibi & fuit hoc semper facilimum, & verò esse debuit; cuius natura talis est, vt etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina est, quæ vel vitiosissimam naturam excolere possit. Tu cum pecuniæ, cum voluptati, cum omnium rerum cupiditati resistes, vt facis; erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem, paulo cupidiorem publicanum comprimere non possis. Nam Græci quidem sic te, ita viuentem, intuebuntur, vt quendam

Secundum Praeceptum. De Sympathia continentiae et Abstinentia. Est d. tale.
Ut in officio continentiae subditi et provinciales
ipsum ut continens necesse est.

Claudianus

Regis ad exemplum totus compo
nitur orbis
Non sic inflectere sensus, humanos edicta valent quam vita regentis
Ovidius
Sic petitur censura et sic exempla
parantur
Cum princeps alios quod iubet
ipse facit

Quod prudentis opus? cum possit velle noceri

3. Argtum ab effectu dicitur. laudes ex gloria q ex continentia paratur.

Haec tria argta ~~[illegible]~~ poterunt hoc nro tempore transferri ad usum, quotiens magistrum ex principem aliquem hortari volumus ad continentiam ut si velit regere et coercere alios, ipse se quoque regat et contineat.

dam ex annalium memoria, aut etiam de cœlo diuinum hominem esse in prouinciam delapsum putent. Atque hæc nunc, non vt facias, sed vt te facere & fecisse gaudeas, scribo. præclarum est enim, summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic, vt nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniæ, quibus rebus abundat ista prouincia, ab summa integritate continentiaq; deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium, aut tam expetendum potest, quàm istam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neq; esse abditam; sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ prouinciæ, atq; in auribus omnium gentium, ac nationum esse positam? non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri, non aduentu commoueri; esse quocunq; veneris, & publicè, & priuatim maximam lætitiam, cum vrbs custodem, non tyrannum; domus hospi-

hoſpitem; non expilatorem recepiſſe videatur. His autem in rebus iam te vſus ipſe profecto erudiuit, nequaq̃ ſatis eſſe, ipſum haſce habere virtutes, ſed eſſe circumſpiciendum diligenter, vt in hac cuſtodia prouinciæ non te vnum, ſed omneis miniſtros imperij tui, ſocijs, & ciuibus, & reip. præſtare videare: quanquam legatos habes eos, qui ipſi per ſe habituri ſint rationem dignitatis ſuæ: de quibus honore & dignitate, & ætate præſtat Tubero: quem ego arbitror, præſertim cum ſcribat hiſtoriam, multos ex ſuis annalibus poſſe deligere, quos velit, & poſsit imitari. Allienus autem noſter, cum animo & beneuolentia, tum vero etiam imitatione viuendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certe ſcio ita laborare de exiſtimatione ſua, vt, propter amorem in nos fraternum, etiam de noſtra laboret. Quæſtorem habes non tuo iudicio delectum, ſed eum, quem ſors dedit. Hunc oportet, & ſua ſponte eſſe moderatum, & tuis inſtitutis ac præceptis

Praeceptum Tertium de negotiorum publicorum socijs, et adiutoribus in officio continendis. Et est tale.

Non satis est te fratrem animi magnitudine et gravitate esse praeditum sed et illud diligenter circumspiciendum ut omnes ministros imperij tui, socijs, civibus, Reipublicae praestes, et illis qui spondeas: et si quid peccarint eorum in te culpam recipias. Et hoc non est difficile, probat per laudem et commendationem Legatorum.

De Enumeratione et expositione 8 Modorum, quibus imperij in officio contineri ministri possunt.

ptis obtemperare: quorum si quis forte esset sordidior, ferres eatenus, quo ad per se negligeret eas leges, quibus esset adstrictus; non vt ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses; ad quæstum vteretur. neq; enim mihi sanè placet, præsertim cum hi mores tantum iam ad nimiam leiutatem & ad ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sordes, excutere vnumquẽq; eorum: sed quanta sit in quoq; fides, tantum cuiq; committere. Atq; inter hos, eos, quos tibi comites & adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa respub. duntaxat finibus ijs præstabis, quos antè præscripsi. quos vero aut ex domesticis conuictionibus, aut ex necessarijs apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt. Sed habes eos tecum, quos possis recte facientes facile diligere; minus cõsulentes existimationi tuę facilime coërcere; à quibus rudis cum esses, videtur potuisse tua libera-

liberalitas decipi: nam vt quisq; est vir optimus, ita difficilimè esse alios improbos suspicatur. nunc vero tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiorem etiam ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte & simulate quæstus caussa insusurretur. Sit anulus tuus, non vt vas aliquod, sed tamquam ipse tu; non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. Accensus sit eo numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris ac muneris, non temere, nisi libertis suis, deferebant; quibus illi quidem non multo secus, ac seruis, imperabant. Sit lictor non suę, sed tuę lenitatis apparitor; maioraq; præferant fasces illi, ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis. Toti denique sit prouinciæ cognitum, tibi omnium, quibus præsis, salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas. Denique hæc opinio sit, non modo ijs, qui aliquid acceperint;

Accensus ut inquit Asconius nomen est ordinis in
militia. Erant et accensi militis, qui supplentes
militibus seu legionibus, qui ad censum ascribebantur
hiq. vel in demortuorum locum surrogabantur, vel ad
naturas accersebantur.

Hæc ~~præceptum~~ præcepti tractatio suppeditat
exempla, quo pacto præcepta sint cum aliqua gratia
et voluptate proponenda, corrigenda quoque et
mitiganda ea, quæ nimis aspera atque dura videntur.

Quartum præceptum. De prudentia et cautione
adhibenda in amicitia, familiaritate atque con-
suetudine, cum civium Romanorum qui in Asia
negociabantur, tum ipsorum Asiaticorum.

Huius præcepti usus esse poterit tum, cum magistri et
principes horarii volumus, ut in delegendis
amicis et familiaribus sint cautiores, dent operam
ut vel nominis prosequi, nec ex promiscue omnibus
fidem habeant.

perint; sed ijs etiam, qui dederint, te inimicum, si id cognoueris, futurum. Neque vero quisquam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. Nec tamen hæc oratio mea est eiusmodi, vt te in tuos aut durum esse nimium, aut suspicioſum velim: nam si quis est eorum, qui tibi biennij spacio nunquam in suspicionem auaritiæ venerit, vt ego Cæsium, et Cherippum, & Labeonem & audio, &, quia cognoui, existimo: nihil est quod non & ijs, & si quis est alius eiusdemmodi, & committi, & credi rectissime putem: sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris: huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris. In pro- IV
uincia vero ipsa, si quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit ignotus: huic quantum credendum sit, vide; non quin possint multi esse prouinciales viri boni: sed hoc sperare licet, iudicare

periculosum est. multis enim simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur vniuscuiusq; natura: frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissime. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant ijs rebus omnibus, à quibus nos diuulsi esse non possumus; te autem, alienum hominem, ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent? mihi quidem permagnum videtur, præsertim si ijdem homines priuatum non ferè quenquam, prætores semper omnes amant. Quo ex genere si quem forte tui cognosti amantiorem (fieri enim potuit) quàm temporis: hũc verò ad tuum numerum libenter adscribito. Sin autem id non perspicies: nullũ genus erit in familiaritate cauendum magis: propterea quòd & omnes vias pecuniæ norunt; & omnia pecuniæ causa faciunt; &, quicum victuri non sunt, eius existimationi consulere non curant. Atq; etiam è Græcis ipsis diligenter

1 Ratio, sumitur a natura et ingenio totum.

2 ratio a natura et conditione negotiatorum et mercatorum sumitur

3 ratio desumpta est a consuetudine provinciarum.

4 ratio sumitur a causa finali

De Gravis et Asialicis.

Quintum Preceptum, de famulis
et servis regendis

Est ac duplex tamen loci Preceptum
Una de Continentia servorum

Altera pertinet ad fidem Laborandam
ex communi tenda negocia

genter cauendæ sunt quædam familiaritates, præter hominum perpaucorũ, si qui sunt vetere Græcia digni. Sic vero fallaces sunt permulti et leues, et diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditi: quos ego vniuersos adhiberi liberaliter, optimum quemq; hospitio, amicitiaq; coniungi dico oportere. nimiæ familiaritates eorum, neq; tã fideles sunt (non enim audent aduersari nostris voluntatibus) & vero inuident non nostris solum, verum etiam suis. Iam qui in eiusmodi rebus, in quibus vereor etiam ne durior sim, cautus esse velim ac diligẽs; quo me animo in seruis esse censes? quos quidem cum omnibus in locis, tum præcipue in prouincijs regere debemus: quo de genere multa præcipi possunt: sed hoc & breuissimum est, & facilime teneri potest: vt ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, vt si iter Appia via faceres; neue intereſſe quicquam putent, vtrum Tralleis, an Formias venerint. At, si quis est ex seruis egregie fidelis, sit in

domesticis rebus, & priuatis: quæ res ad officium imperij tui, atque ad aliquam partem Reipub. pertinebunt, de ijs rebus ne quid attingat. Multa enim, quæ recte committi seruis fidelibus possunt, tamen, sermonis & vituperationis vitandæ causa, committenda non sunt. Sed nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset: quid enim ei præcipiam, quem ego, in hoc præsertim genere, intelligam prudentia non esse inferiorem, quàm me, vsu vero etiam superiorem? Sed tamen, si ad ea, quæ faceres, autoritas accederet mea, tibi ipsi illa putaui fore iucundiora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuæ: tua primum integritas & continentia; deinde omnium, qui tecum sunt, pudor; delectus in familiaritatibus & prouincialium hominum, & Græcorum percautus & diligens; familiæ grauis & constans disciplina. Quæ cum honesta sint in his priuatis nostris quotidianisq; rationibus;

Fundamenta dignitatis

Septum Praeceptum de Juris
dictione

Primum Cicero hoc in loco postulat, ut in
rebus statuendis decernendisque adhibeatur
Sanctitas: et eius rei 3 adferuntur
causae.

Alterum praecipit Cicero in Juris
dictione 6 aequabilitas
Tertium ad socios et adiutores
laborum pertinet.

tionibus; in tanto imperio, tam depra-
uatis moribus, tam corruptrice prouin-
cia, diuina videantur, necesse est. Hæc
institutio, atq; hæc disciplina potest su-
stinere in rebus statuendis et decernen-
dis eam seueritatem, qua tu in ijs rebus
vsus es: ex quibus nonnullas simulta-
tes cum magna mea lætitia susceptas
habemus: nisi forte me Paconij nescio
cuius hominis, ne Græci quidem ac
Mysi, aut Phrygis potius, querelis mo-
ueri putas: aut Tuscenij, hominis furio-
si ac sordidi vocibus; cuius tu ex impu-
rissimis faucibus inhonestissimam cu-
piditatem eripuisti summa cum æqui-
tate. Hæc & cætera plena seueritatis,
quæ statuisti in ista prouincia, non faci-
le sine summa integritate sustinere-
mus. Quare sit summa in iure dicendo
seueritas, dummodo ea ne varietur
gratia, sed conseruetur æquabilis. Sed
tamen parui refert, abs teipso ius dici
æqualiter & diligenter, nisi idem ab ijs
fiet, quibus tu eius muneris aliquam
partem concesseris. Ac mihi quidem

videtur non sanè magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota iurisdictione maximè sustineri: in qua scientiæ, præsertim prouincialis, ratio ipsa expedita est: constantia est adhibenda & grauitas, quę resistat non solum gratiæ, verum etiam suspicioni. Adiungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. His rebus nuper C. Octauius iucundissimus fuit: apud quem primus lictor quieuit, tacuit accensus; quoties quisq; voluit, dixit, & quàm voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi hæc lenitas illam seueritatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per vim, & metum abstulerant, reddere. Qui in magistratibus iniurioſe decreuerant, eodem ipsis priuatis erat iure parendum. Hæc illius seueritas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quòd si hæc lenitas grata Romæ est, vbi tanta arrogantia est, tam immoderata

Quarum: q in Jurisdictione requiri
& constantia ex gravitate.

Quinum ex Formam & facilitate in
accidendo.

Ec Sanc Summam confirmas q Ratij.

rata libertas, tam infinita hominum licentia, deniq; tot magistratus, tot auxilia, tanta vis, tanta senatus autoritas: quàm iucunda tandem prætoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitudo ciuium, tanta sociorum, tot vrbes, tot ciuitates vnius hominis nutum intuentur. vbi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio. Quare cum permagni hominis est, & cum ipsa natura moderati, tum vero etiam doctrina, atq; optimarum artium studijs eruditi, sic se adhibere in tanta potestate, vt nulla alia potestas ab ijs, quibus is præsit, desideretur. Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperij: cuius summa grauitas ab illo philosopho cum singulari comitate coniungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Aphricanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim prętermissum in ijs officium diligentis et moderati imperij. Eaq; si sic coluit ille, qui priuatus futurus

nunquam fuit: quonam modo retinenda sunt ijs, quibus imperium ita datum est, vt redderent, et ab ijs legibus datum est, ad quas reuertendum est: Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda ijs, qui præsunt alijs, vt ij, qui erunt in eorum imperio, sint quam beatissimi: quod tibi esse & antiquissimum, & ab initio fuisse, vt primum Asiam attigisti, constante fama, atq; omnium sermone celebratum est. Est autem non modo eius, qui socijs & ciuibus, sed etiam eius, qui seruis, qui mutis pecudibus præsit, eorum, quibus præsit, commodis vtilitatiq; seruire. Cuiusquidem generis constare inter omneis video, abs te summam adhiberi diligentiam. nullum æs alienum nouum contrahi ciuitatibus, vetere autem, magno & graui, multas abs te esse liberatas: vrbes complures dirutas, ac pænè desertas, in quibus vnam Ioniæ nobilissimam, alteram Cariæ, Samum, & Halicarnassum, per te esse recreatas: nullas esse in oppidis seditiones, nullas discor-

Pro argumento sequentis partis habere, possumus insignem locum Ciceronis quem in epistola quadam ad Atti: se in quinto libro de republica scripsisse testatur

Ut enim gubernatori cursus secundus medico salus, imperatori victoria, sic moderatori reipub., beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit, huius enim operis maximi inter homines atque optimi, illum esse effectorem bonum.

Assumptio tam argumenti probatur a Cicerone copiose ut audit aliquot modis quibus salus ut utilitas subditorum procuratur etc.

Tertio, Hic contrahatur ad alienum.

Tl. Tranquillitatis et pietatis publicae

3 Modus Gubernationis

4. Pacis et tranquillitatis publicae.

5. Est Remotae calumniae

6. Sumptuum et tributorum

7. Humanitatis et facilitatis in audiendis ordinibus

8. Clementiae, mansuetudinis, Humanitatis

9. Moderationis in sumptibus

discordias: prouideri abs te, vt ciuitates optimatum consilijs administrentur: sublata Mysiæ latrocinia, cædes multis locis repressas, pacem tota prouincia constitutam; neq; solum illa itinerum atq; agrorum, sed multo etiam plura & maiora oppidorum & fanorum latrocinia esse depulsa: remotam à fama, & à fortunis, et ab otio locupletium illam acerbissimam, ministram prætorum auaritiæ, calumniam: sumptus, & tributa ciuitatum ab omnibus, qui earum ciuitatum fineis incolant, tolerari æqualiter: facilimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solitudinem, non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem, & cubiculo esse exclusam tuo: toto deniq; in imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atq; omnia plena clementiæ, mansuetudinis, humanitatis. Quantum verò illud est beneficium tuum, quòd iniquo & graui vectigali ædilitiorum, magnis nostris simultatibus, Asiam liberasti?

berasti? Etenim si vnus homo nobilis queritur palàm, te, quòd edixeris, ne ad ludos pecuniæ decernerentur, HS. CC. sibi eripuisse: quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine, quicunq; Romæ ludos facerent, quod erat iam institutum, erogaretur? Quamquàm has querelas hominum nostrorum illo consilio oppressimus: quod in Asia nescio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cum admiratione laudatur; quòd, cum ad templum, monumentumq; nostrum ciuitates pecunias decreuissent; cumq; id & pro meis magnis meritis, et pro tuis maximis beneficijs, summa sua voluntate fecissent; nominatimq; lex exciperet, vt ad templum & monumentum capere liceret; cumq; id, quod dabatur, non esset interiturum; sed in ornamentis templi futurum; vt non mihi potius, quàm populo Rom. ac dijs immortalibus datum videretur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendũ non putaui,

cum

cum alijs de cauſis, tum etiam vt animo æquiore ferrent ij, quibus nec deberetur nec liceret. Quapropter incumbe toto animo & ſtudio omni in eam rationem, qua adhuc vſus es, vt eos, quos tuæ fidei poteſtatiq; S. P. Q. R. commiſit & credidit, diligas, & omni ratione tueare, vt eſſe quambeatiſsimos velis. Quòd ſi te ſors Afris, aut Hiſpanis aut Gallis præfeciſſet, immanibus ac barbaris nationibus: tamen eſſet humanitatis tuæ, conſulere eorum commodis, & vtilitati ſalutiq; ſeruire. Cum verò ei generi hominum præſimus, non modò in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios peruenisse putetur humanitas: certe ijs eam potiſsimum tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc iam dicere pudebit, præſertim in ea vita, atq; in ijs rebus geſtis, in quibus non poteſt reſidere inertiæ, aut leuitatis vlla ſuſpicio, nos ea, quæ conſecuti ſumus, ijs ſtudijs et artibus eſſe adeptos, quæ ſint nobis Græciæ monumentis diſciplinisq; traditæ. Quare, præter commu-

communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos isti hominum generi præcipuè debere videmur; vt quorum præceptis sumus eruditi, apud eos ipsos, quod ab ijs didicerimus, velimus expromere. Atque ille quidem, princeps ingenij, et doctrinæ Plato tum demiq; fore beatas respub. putauit, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent: aut hi qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent. Hanc coniunctionem videlicet potestatis & sapientiæ, saluti censuit ciuitatibus esse posse. Quod fortasse aliquando vniuersæ reipub. nostræ, nunc quidem profectò isti prouincię contigit, vt is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute, atq; humanitate percipienda, plurimum à pueritia studij fuisset & temporis. Quare cura, vt hic annus, qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiæ prorogatus esse videatur: quoniam in te retinendo fuit Asia felicior, quàm nos in deducendo; perfice, vt læ-

vt lætitia prouinciæ desiderium nostrum leniatur. Etenim, si in promerendo vt tibi tanti honores haberentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus: multo maiorem in his honoribus tuendis adhibere diligentiam debes. Equidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te antè. Semper eos putaui, si vulgares essent, vileis; si temporis causa constituerentur, leueis: si verò, id quod ita factum est, meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in his honoribus tuendis operam esse ponendam. Quare, quoniam in istis vrbibus cum summo imperio & potestate versaris: in quibus tuas virtutes consecratas, & in Deorum numero collocatas vides, in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudicijs, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiusmodi, vt consulas omnibus, vt medeare incommodis hominum, prouideas saluti, vt te parentem

Asiæ

Asiæ & dici, & haberi velis. Atq; huic tuæ voluntati ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si aduersamur; ordinem de nobis optime meritum, & per nos cum repu. coniunctum, & à nobis, & à repub. diiungemus. sin autem omnibus in rebus obsequimur; funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam cõmodis consulere debemus. Hæc est vna, si verè cogitare volumus, in toto imperio tuo difficultas. Nam, esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coërcere, & iuris æquabilem tenere rationem, facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendisq; prębere, pręclarum magis est, quàm difficile: non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi et voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat socijs, intelleximus ex ciuibus, qui nuper in portorijs Italiæ tollendis, non tam de portorio, quàm de nonnullis iniurijs portitorum querebantur.

Namque [illegible] coniugatis Asiatici et Publicani.

Octauum praeceptum. De socijs atque provin-
cialibus conciliandis publicanis

Hoc praeceptum poterit ad Usum conferri tum,
cum a subditis mouentur querelae de tributis
Vectigalibus, mercatorum aut aliorum auaritia.

Altera pars ... continet ipsum παράγγελμα

Tertia pars ... rationes complectitur

Quo pactu ei difficultates illae tollantur, ne ponitur ... cum publicanis ... sic: ondit 5 ... argus

bantur. Quare non ignoro, quid sociis accidat in vltimis terris, cum audiuerim in Italia querelas ciuium. Hic te ita versari, vt & publicanis satisfacias, præsertim publicis male redemptis, & socios perire non sinas, diuinæ cuiusdam virtutis esse videtur, id est tuæ. Ac primum Græcis, id quod acerbissimum est, quòd sunt vectigales, non ita acerbum videri debet: propterea quòd sine imperio pop. Ro. suis institutis, per se ipsi ita fuerunt: nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerint, quod iis æqualiter Sylla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quàm nostros publicanos, hinc intelligi potest, quòd Caunij nuper omnes ex insulis, quæ erant ab Sylla Rhodijs attributæ, confugerunt ad senatum, nobis vt potius vectigal, quàm Rhodijs, penderent. Quare nomen publicani neq; ij debent horrere, qui semper vectigales fuerunt; neque ij aspernari, qui per se pendere

vectigal

vectigal non potuerunt; neq; ij recusare, qui postulauerunt. Simul & illud Asia cogitet, nullam à se neq; belli externi, neque domesticarum discordiarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur: id autem imperium cùm retineri sine vectigalibus nullo modo possit, æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atq; otium. Quòd si genus ipsum, & nomen publicani non iniquo animo sustinebunt; poterunt ijs consilio, & prudentia tua reliqua videri mitiora. Possunt in pactionibus faciendis non legem spectare censoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotij, & liberationem molestię. Potes etiam tu id facere, quod & fecisti egregiè, & facis, vt commemores quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus; vt remoto imperio, ac vi potestatis & fascium, publicanos cum Græcis gratia, atq; autoritate coniungas. Sed et ab ijs, de quibus optimè tu meritus es,

& qui

4 argum sumitur a commodis Asiaticorum et Graecorum.

5 sumitur a causis adiuvantibus

Conclusio tq Praecepti
Mitigatione et correctione
absolutis facta laude
et commendatione fuit ne
de ipsius prudentia
dubitare Vdar

+ Praeceptum nonum et
premium. De iracundia
reprimenda et adhibenda
lenitate atq; clementia

& qui tibi omnia debent, hoc petas, vt facilitate sua, nos eam necessitudinem, quæ est nobis cum publicanis, obtinere & conseruare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modò facere potes tua sponte, sine cuiusquam præceptis, sed etiam magna iam ex parte perfecisti? Non enim desistunt nobis agere quotidie gratias honestissimæ, & maximæ societates. quod quidem mihi idcirco iucundius est, quòd idem faciunt Græci. Difficile est autem ea quæ commodis, vtilitate, & propè natura diuersa sunt, voluntate coniungere. At ea quidem, quę suprà scripta sunt, non, vt te instituerem, scripsi (neque enim prudentia tua cuiusquam præcepta desiderat) sed me in scribendo commemoratio tuæ virtutis delectauit: quanq; in his literis longior fui, quàm aut vellem, aut quàm me putaui fore. Vnum est, quod tibi ego præcipere non desinam, neque te patiar, quantum erit in me, cum exceptione laudari: omnes enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtu-

te, integritate, humanitate commemorant, vt in tuis summis laudibus excipiant vnam iracundiam. Quod vitium, cum in hac priuata, quotidianaq; vita leuis esse animi atq; infirmi videtur: tum verò nihil est tam deforme, quàm ad summum imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere. Quare illud non suscipiam, vt, quæ de iracundia dici solent à doctissimis hominibus, ea nunc tibi exponam, cum & nimis longus esse nolim, & ex multorum scriptis ea facile possis cognoscere. Illud, quod est epistolæ proprium, vt is, ad quem scribitur, de ijs rebus quas ignorat, certior fiat, prętermittendum esse non puto. Sic ad nos omnes ferè deferunt, nihil, cum absit iracundia, te fieri posse iucundius; sed, cum te alicuius improbitas, peruersitasq; commouerit, sic te animo incitari, vt ab omnibus tua desideretur humanitas. Quare, quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipsa, ac fortuna deduxit, vt sempiternus sermo ho-

~~[illegible]~~
Cerro fratrum a vitio inaudiendi exhortatur
4 ptm argtus
1 argtum ducitur a comparatis

2. ducitur ex testimoniis

3. Ex causis & sumptis

mo hominum de nobis futurus sit: caueamus, quantum efficere & consequi possumus, vt ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur. Neq; ego nunc hoc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum iam in nostra ætate difficile est, mutare animum, &, si quid est penitus insitum moribus, id subitò euellere: sed te illud admoneo, vt si hoc plenè vitare non potes, quòd antè occupatur animus ab iracundia, quàm prouidere ratio potuit, ne occuparetur; vt te antè compares, quotidieq; medites, resistendum esse iracundiæ; cumq; ea maximè animum moueat; tum tibi esse diligentissime linguam continendam: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quàm omnino non irasci: nam illud est non solùm grauitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis. Moderari verò & animo & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi et dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris in-

genij. Atq; in hoc genere multò te esse iam commodiorem mitioremq; nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ cõtumeliæ perferuntur: quæ cum abhorrent à literis, ab humanitate, tum verò contraria sunt imperio ac dignitati. Nam si implacabiles iracundiæ sint, summa est acerbitas: sin autem exorabiles, summa leuitas: quæ tamen, vt in malis, acerbitati anteponenda est. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis; credo propterea, quòd tibi hominum iniuriæ, quod auaritiæ, quod insolentia præter opinionem accidebat & intolerabilis videbatur: secundus autem multò lenior; quòd & consuetudo, et ratio, & (vt ego arbitror) meæ quoq; literæ te patientiorem, lenioremq; fecerunt: tertius annus ita debet esse emendatus, vt ne minimam quidem rem quisquam possit vllam reprehendere. Ac iam hoc loco non hortatione, neque præceptis, sed precibus tecum fraternis ago,

totum

Epistolae pars prema Ἐπίλογος conclusio
in qua Cicero fratrem hortatur ut premium
officij annum laudabiliter finiat: et ad hanc
rem aliquot vtrumque argumentis

totum vt animum, curam, cogitationemq; tuam ponas in omnium laude vndiq; colligenda. Quod si in mediocri statu sermonis ac prędicationis nostræ res essent; nihil abs te eximium, nihil præter aliorum consuetudinem postularetur. nunc verò, propter earum rerum, in quibus versati sumus, splendorem & magnitudinẽ, nisi summam laudem ex ista prouincia assequimur; vix videmur summam vituperationem posse vitare. Ea nostra ratio est, vt omnes boni cum faueant, tum etiam omnem à nobis diligentiam virtutemq; & postulent & expectent: omnes autem improbi, quòd cum ijs bellum sempiternum suscepimus, vel minima re ad reprehendendum contenti esse videantur. Quare quoniam eiusmodi theatrum est totius Asiæ, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, iudicio eruditissimum, natura autẽ ita resonans, vt vsq; Romam significationes vocesq; referantur: contende, quęso, atq; elabora, non modò vt

dò vt his rebus dignus fuisse, sed etiam vt illa omnia tuis artibus superasse videare. Et quoniã mihi casus vrbanam in magistratibus administrationẽ reip. tibi prouincialem dedit; si mea pars nemini cedit; fac, vt tua cæteros vincat. Simul & illud cogita, nos non de reliqua & sperata gloria iam laborare, sed de parta dimicare: quæ quidem non tam expetenda nobis fuit, quàm tuenda est. Ac si mihi quicquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi iam partus est: nunc verò sic res sese habet, vt, nisi omnia tua facta, atq; dicta nostris rebus istinc respondeant; ego me tantis meis laboribus, tantisq; periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. Quòd si, vt amplissimum nomen consequeremur, vnus præter cæteros adiuuisti: certè idem, vt retineamus, præter cæteros elaborabis. Non est tibi his solis vtendum existimationibus ac iudicijs, qui nunc sunt, hominum, sed ijs etiam qui futuri sunt; quanquam

4 argtu ē desumptum a con~~[illegible]~~ sermōe ex ampli-
ficāe gloriæ iam partæ.

5. a gloriæ communitate ē positū.

6. a futuris commodis ē desumptū

quam illorum erit verius iudicium, obtrectatione et maleuolentia liberatum. Deniq; illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quærere; quod si esset, tamen non negligeres, præsertim cũ amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui, sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris: in qua cauendum est, ne, si negligentior fueris, tibi parum consuluisse, sed etiam tuis inuidisse videaris. Atq; hæc non eo dicuntur, vt te oratio mea dormientem excitasse, sed potius vt currentem incitasse videatur: facies enim perpetuo, quæ feceisti, vt omnes æquitatem tuam, temperantiam, seueritatẽ, integritatemq; laudent. Sed me quædam tenet, propter singularem amorem, infinita in te auiditas gloriæ: quamq; illud existimo, cum iam tibi Asia, sicut vnicuiq; sua domus, nota esse debeat; cum ad tuam summam prudentiam tantus vsus accesserit; nihil esse, quod ad laudem attineat, quod non tu optime perspicias, & tibi non, sine cuius-

cuiuſquam hortatione, in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui, cum tua lego, te audire; & qui, cum ad te ſcribo, tecum loqui videor, idcirco & tua longiſsima quaque epiſtola maxime delector, et ipſe in ſcribendo ſum ſæpe longior. Illud te ad extremum & oro & hortor, vt, tamq; poëtæ boni, & actores induſtrij ſolent, ſic tu in extrema parte & concluſione muneris ac negotij tui, diligentiſsimus ſis; vt hic tertius annus imperij tui, tamq; tertius actus, perfectiſsimus atq; ornatiſsimus fuiſſe videatur. Id facilime facies, ſi me, cui ſemper vni magis quàm vniuerſis, placere voluiſti, tecum ſemper eſſe putabis, & omnibus ijs rebus, quas dices & facies, intereſſe. Reliquum eſt, vt te orem, vt valetudini tuæ, ſi me & tuos omnes valere vis, diligentiſsime ſeruias.

FINIS.

Marci ita dicti sunt à marte, quod Mar
mense Martio nati essent. cg

Tullig
Cui recens natus non exponendus
aut abiciendus sed tollendus seu
educandus visus esse fuerat.

Cicero.
Cognomen Ciceronis arpinati alicui
in illa familia, antiquitus tributum
putant, quodin hoc genere legumi-
nis Cicere nimirum serendo et ad
mesem copiosam curando et produ-
cendo pre aliis felix esset.

Quinto.
Quintum quog quod ordine reli-
quorum fratrum quinto loco
natus esset hoc nominis accipisse
creditur est.

In exordio seu prima parte huius epistola.

1. Causas huius scriptionis indicat et rationes affert, cur fratrem falsa spe, maturæ decessionis tam diu duci passus sit. Et hac quoque insinuatione leuissimo brachio adhibita paulatim ad exhortationem accedit qua persuadere fratri suo conatur, ut hanc tertiamini ad molestias et curas prouinciales accessionem inuicto animo ferat. Quod quidem facile cum præstare posse innuit, cum sit

et excersitatissimus in hoc genere,
et hanc mansionem non propria
culpa sibi contraxerit. Culpam autē
omnē hanc in se recipit, et quibus
modis ad eam pertractus sit, expo-
nit simulq; monet ut quae parit
cautè prouisa a se sint, ipse pruden
tia et industria corrigit.

Secunda haec est pars huius epistolae
qua docetur à Marco fratre Q. Ci-
cero qualis ipse in tota ~~sua~~ guber-
natione esse debeat, nimirum
quoddam quasi speculum et exem-
plar in quod subditi intuentes
non possint non ipsi quoq;

earundemesse quam studiosissi-
mi. Tractatio autem obliquae,
earum enim virtutum, quas in
Quinto unice esse exoptabat
ad modum ἠθικῶς plenariam
quasi possessionem ei tribuit,
ut sic admonitionis acrimo-
niam mitiget. Ego tamen
ipso defectum illesuum de-
buit agnoscere





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1755985428/phys_0086

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1755985428/phys_0087



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1755985428/phys_0088

cuiu atione, in mentem ve-
nia edego, qui, cum tua le-
go, qui, cum ad te scribo,
tecu tor, idcirco & tua lon-
gis epistola maxime dele-
ctor ibendo sum sæpe lon-
gior d extremum & oro &
hor ꝙ poëtæ boni, & acto-
res nt, sic tu in extrema
part one muneris ac nego-
tij tu imus sis; vt hic tertius
ann i, tamꝙ tertius actus,
perf ꝙ ornatissimus fuisse
vide lime facies, si me, cui
semp s quàm vniuersis, pla-
cere um semper esse puta-
bis, & s rebus, quas dices &
facie Reliquum est, vt te
or udini tuæ, si me &
valere vis, dili-
me seruias.

N I S.

mage Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 038
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
4.5 5.0 5.6 6.3
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock 05 1500
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1755985428/phys_0089